



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

XIX. De iisdem verbis, Non est regnum Dei esca, & c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

materiam secutus adjunxit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est.* Quid modestia, nisi mansuetudo & patientia est? Gaudeamus ergo de his quæ expectamus, quoniam Dominus prope est. Iterum gaudeamus de his quæ sustinemus, ut modestia nostra omnibus nota sit. Nimirum tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.

Sanè ut idoneus fiat animus geminæ huic spirituali lætitiæ capessendæ: duo æquè ad justitiam exercendam, duo nihilominus ad conservandam pacem necesse est præmittantur, quæ quidem utraque copiosius nobis Scriptura sacra commendat. Siquidem justitiæ exercitatio in his duobus mandatis tota pendere videtur, ut quod sibi quis fieri non vult, alii non faciat^l, sicut ad gentes missa epistola continet Apostolorum; & quemadmodum ad eosdem Apostolus dicit: *Quæcunque volumus ut nobis faciant homines, & nos faciamus illis.* Cæterum quoniam in multis offendimus omnes, impossibile est in hoc loco & tempore scandalorum, (neque enim adhuc venerunt Angeli, qui de regno Dei tollant omnia scandala, sed nec sumus in illa beata civitate, cujus fines pacem posuit Deus) propterea impossibile hic & modo pacem inter nos conservari, nisi & is qui in aliquo fortè offendit proximum, animosam elationem; & qui offensus est, nihilominus caveat inexorabilem obstinationem.

Studeamus itaq; fratres mei, & humiles ad satisfaciendum his qui aliquid habent adversum nos, & ad remittendum his qui offenderunt nos, faciles inveniri: quia non solū mutua inter nos pacis conservatio constat in his duobus, sed ne ipsa quoq; divina sine his propitiatio poterit obtineri, quòd nec munus ab eo recipiat, qui non prius ierit ut fratri reconcilietur, & dimissum etiam ab eo delictum strictius exigat, qui conservo suo debitum nō remittit. Jam si manent in nobis justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, tria hæc; non quasi securi sumus pro eo quod regnū Dei intra nos est, sed eo magis in timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur, scientes nimirum quòd hunc tantum thesaurum adhuc in vasis fictilibus habeamus.

S E R M O XIX.

De iisdem verbis Apost. *Non est regnum Dei esca & potus.*

Solet Apostolus Paulus in verbis esse brevis, in sententiis copiosus. Non ignoravit hoc ille tam eloquentiæ, quàm sapientiæ dotibus approbatus, qui singula Pauli verba tonitrua judicabat. Tam signanter enim universa depromit, & sic intonat spiritu, & virtute, ut in serie ordinem, in sensu plenitudinem, in utroque connexionem mirabiliter ostendat. *Non est* (inquit^a) *regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Quid ad hæc dicitis vos gulosi & luxuriosi, quorum

o Rom. 5. a

Ad justitiam
exercendam duo
necessaria.

l Tob. 4. c. &
Matth. 7. b. &
Luc. 6. e

Ad pacem iis-
dem duo.

m Matt. 5. d

S. Hieron.

a Rom. 14. c

rum

rum Deus venter est, quorum omnis usus aut in ventre, aut sub ventre est, qui (ut ait Iacobus Apostolus) *in luxuriis enutristis corda & corpora vestra? Audite, audite, quia esca ventri, & venter escis, Deus autem hunc & has destruet* ^c. Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis vitulum de armento, & bibitis vinum defecatum, & primis unguimini unguentis ^d. Filii hominum usquequo gravi corde, quia corpore pingui, ut quid diligitis vanitatem, & veritatem negligitis? Pinguedo carnis, delicia corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas relinquetis: *quoniam (inquit Sanctus ^e) cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos* ^f. Quàm bene sicut oves? quia detracto vellere mundalium divitiarum, durè presèque detonsi, sempiternis nudi deputabuntur incendiis. *Mors depascet eos: quia semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem. Ergo hic caro vermibus, illic anima ignibus deputatur: donec rursus infelici collegio colligati, tormentis poenalibus locientur, qui socij fuerunt in vitiis.*

O delicate, qui deliciis & divitiis circumfusis atque confusus, confusionem expectas & mortem, *non est regnum Dei esca & potus*, non purpura & byssus, quia dives ille utroque circumfluus, in puncto ad inferna descendit ^g. Quid ergo? *Sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto.* Attendis & intendis quia gaudium in fine est? Sic fatui filii Adam & præcipiti saltu iustitiam transilientes & pacem, *rem finalem in principium convertere & pervertere vultis? Nemo enim est qui gaudere non velit. Non stabit & non erit istud, quia sicut non est pax impiis, sic nec gaudere impiis, dicit Dominus ^h. Non sic impij, non sic. Prius est iustitiam facere, inquirere pacem, & persequi eam, & sic demum apprehendere gaudium: imò à gaudio comprehendj. Sic angelicus ille conventus prius iustitiam fecit, cum stetit in veritate, & veritatis deseruit desertorem. Post hæc, illa pace firmati sunt, quæ exuperat omnem sensum: quia cum diversis honoris primatibus ambiantur, nullus qui murmuret, qui invideat nullus. Lauda tu Hierusalem Dominum, lauda Deum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem ⁱ. Lauda & laudes replica, quia munitissimis vectibus & inconcussibilibus seris clausæ sunt portæ tuæ, nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, benedicti filii tui in te, omni benedictione spirituali in cœlestibus cum Christo. Iam non est timor in finibus tuis, quia posuit fines tuos pacem: nullæ tibi tentationes, nulla sese cogitationum turma confundit, quia versipellis ille & tortor longè est à muris tuis & à filiis tuis. Et ille qui idem est, omnia in identitate consolidat atque coniungit. *Cuius participatio*, inquit ^k, *in idipsum.* Hoc jam tertio hauriunt aquas in gaudio de fontibus*

b Iacob. 5. a

c 2. Cor. 6. c

d Amos. 6. d

Contra luxuriam & delicias hominum carnalium.

e Psal. 48. d
f Ibid. c. *

g Luc. 16. d
Carnales ordine præposito gaudium querunt.

h Esa. 48. d
Præ est iustitiam facere quam apprehendere gaudium.

i Psal. 147. a

k Psal. 121. a
Gaudium

fontibus Salvatoris, & nudis (ut ita dicam) oculis divinitatis intuentur
essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione decepti. Ecce
gaudium in fine, sed sine fine.

Miseri nos, qui ab illa felici regione repulsi in hanc descendimus,
imò cecidimus vanitatem. *Filii Sion* (ait Propheta ¹ *inclyti & amici au-*
ro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea? Filii Sion, illius videlicet specu-
lative civitatis, quam ædificavit Dominus, ut videatur in gloria sua: filii su-
pernæ Hierusalem, quæ libera est mater nostra: inclyti per dignitatem con-
ditionis, amici auro primo per divinitatis imaginem. Quomodo ergo ex
his nos quidem reputati sumus in vasa testea, in hæc lutea & fragilia cor-
pora degeneravimus? Exhibent enim Angeli, Fratres charissimi, justitiam
Deo, pacem inter se, gaudium sibi. Sic & tu homo noli prius rapere quod
tuum est, & justitiam quam Deo, & pacem quam proximo debes, contem-
nere. Iustitia virtus est qua redditur unicuique quod suum est. Tu non so-
lum justitiam, sed multas & multiplices justitias debes creatori, *Iustus enim*
Dominus, & justitias dilexit. ^m. *Iustitia tua sicut montes Dei* ⁿ. Bene
sicut montes, quia plures cumulos miserationum suarum ingessit tibi.

Et prius quidem te cum cæteris, & inter cætera creavit, non sine ma-
gna prærogativa dignitatis. Dixit enim de omnibus, & facta sunt. Post
hæc vehementissimo tui amore inflammata majestas illa redemit te. Nun-
quid verbi facilitate? Non. Sed triginta annis operatus est salutem tuam in
medio terræ, affixus cruci, additus morti, ludibriis deputatus, Deus tuus fa-
ctus est frater tuus, non Angelorum frater, quia nusquam Angelos apprehendit,
sed semen Abrahamæ apprehendit. Commune quidem habes quod fa-
ctus es; quod frater es, speciale. Adjecit adhuc erga nos specialius quoddam,
quod de lata nos & spaciola via quæ ducit ad mortem, digito suo traxit, &
posuit in consilio justorum & congregatione. Quid ultra debuit facere,
& non fecit? Cuius vel faxeum pectus tanta & talis à tanto & tali collata
beneficiorum multitudo non emolliat? Quicquid igitur es, quicquid po-
tes, debes creanti, redimenti, vocanti,

Sed cum justitiam feceris, fac & pacem. Quandiu enim sumus in hoc
vase testeo, & fragilitate complexionis humanæ, non possumus inveniri scâ-
dalorum prorsus immunes. Si igitur recordatus fueris, quod frater tuus ha-
bet aliquid adversum te, sis humilis ad veniam petendam: si tu habes ad-
versus illum, sis facilis ad dandam; & omnia membra erunt in pace. Si enim
ad duo ista charitatem & humilitatem paratissimi, non poterimus dis-
fensionem sentire. *Discite* (inquit ^o) *à me, quia mitis sum & humilis*
corde: mitis, quod pertinet ad charitatem, quia charitas patiens est, be-
nigna est: humilis, quod ad ipsam verbi spectat proprietatem. Sic

Sermones S. Bernardi.

liii

pro

solidum & per-
petuum in fine.

Thren. 4. a

Iustitiam debe-
mus Deo, pa-
cem proximo.

m Psal. 10. a
n Psal. 35. d

Dei erga nos
beneficia; in
Creatione, Re-
demptione, Vo-
catione.

Pax quam de-
bemus proximo
nutrienda cha-
ritate & hu-
mitate.

Matt. 11. d

procedentibus erit gaudium in Spiritu sancto. Loquar quod expertus novit, inexpertus ignorat: animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Nunquid non plerunque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius quod est in Hierusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra, & lachrymarum unda vultus meditantium superfundit? O si duraret! *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni datur dextera mea: adhareat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non*

psal. 136. a *propofuero Hierufalem in principio lætitiæ meæ P.* Verè principio lætitiæ, quia finis illic repositus est.

*Aspiratio ad
cælestem Pa-
triam.*

Quando conscindes saccum meum, Domine Iesu, & circumdabis me lætitiâ, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar? Principium gaudii illius quod hic quandoque sentimus, stilla est, guttula est, de flumine illo est descendens, cuius impetus lætificat civitatem Dei. Quandoque veniet tempus, ut perennibus gaudiis nos in ipso divinitatis fonte profundius immergamur, ubi unda undam sine interapedine & interpolatione continuet. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Quando transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei? Quando sicut audivimus, sic videbimus in civitate Domini virtutum? Eia igitur, fratres, huic feliciternario fideliter insistamus, & semper simus memores verbi illius: *Amice ad quid venisti?* Quia non ad hoc venimus, ut simulatoria specie regem interficiamus, sed ei serviamus, qui est benedictus in sæcula.

q Matt. 26. c

S E R M O XX.

De verbis Domini: *Omnis qui se exultat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

a Luc. 18. c

*Hominum
4. gradus.*

SI consideramus diligenter, Fratres, gradus hominum quatuor invenimus: Dico autem summam felicitatem *in cælo* ad quam suspiramus: mediam infelicitatem *in paradiso* unde cecidimus, itemque mediam infelicitatem *in hoc mundo* pro qua gemimus: & *in inferno* extremam infelicitatem, quam merito formidamus. Brevius tamen dicere possum, vitam & umbram vitæ: umbram mortis, & mortem. Itaque nec in summo, nec in imo positi timemus descendere, ascendere cupimus, eò magis anxii, quo videmur viciniore infimis quàm supremis: & ecce dicitur nobis, quia *omnis qui se exultat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

*Humilitatis
& exaltatio-
nis mira con-
nexio.*

Quidnam sibi vult cancellata hæc connexio exaltationis & humiliationis? Itane parum est Domine, quòd in veritate tua humiliasti nos, quia adhuc exigis, ut apponat homo humiliare seipsum? Et quidem restat adhuc quo possimus humiliari, sed qui illò ceciderit, jam non adjiciet, ut resurgat; qui humiliatus fuerit illuc, frustra speret exaltationem: si-
quidem